

202

guine Fides nostra irrigata est, humili corde venerari.  
Inscriptio ita reddi potest. *Dioscorus Nauclerus hic dormit  
in Pace. Vixit annos LXXVI. Depositus IX. Kal. Martii Consu-  
latus Arcadii Caesaris & Rufini.*

NAYKAHPOΞ. De Naucleris. V. supra Not. XLIV.

IAPAKATI. Marmorarii proculdubio mendum hic subest.  
APKAΔ. K. *Arcadii Caesaris*. Verum Arcadius Augustus a  
Patre appellatus fuerat jam inde ab anno Ch. CCCLXXXIII.  
quare suspicor marmorarium loco B, quo secundus Arcadii  
Consulatus designabatur, K insculpsisse. Alter ex Arcadii Con-  
sulatibus hic fuit, quem Rufino collega gessit A. Ch. CCCXCII.  
Equidem maximum Inscriptionis pretium hinc oritur, non mo-  
do enim par hoc Consulatum nusquam alibi quod sciam repe-  
ritur, sed reperiri posse vix credo; quum enim Rufinus hic,  
tamquam proditor, ac præcipuum Imperii exitium, occisus fue-  
rit, illius nomen abolendum erat, atque e publicis monumen-  
tis eradendum ex ipsius Arcadii & Honorii constitutione, qua  
*funestorum Consulatum nomina jubent aboleri*; tantum beneficium  
historiæ præstant Christianæ Inscriptiones, quæ sub ascia dedi-  
catæ, seu ut apertius dicam, a marmorariorum officina ad Sa-  
cra Cæmeteria delatæ, ibique reconditæ nulli deinceps injuriæ  
patebant.

C L X I V.

S Anctum Servatoris nostri Monogramma hasta transversa de-  
cussatum, ut præter duas initiales nominis literas, crucem  
etiam reparationis nostræ symbolum repræsentaret, non equidem  
singulare est in hac Inscriptione; itidem enim expressum vidi  
in pluribus aliis Christianis lapidibus; illud peculiari observatio-  
ne dignum est quod in Boldetti opere occurrit pag. 344. faulta  
enim precatio inter hujusmodi Monogrammatum hastas inscul-  
pta est in CRISTO BIBAS. Illud mihi monendum superest  
mytici hujus signi plurimas, neque adhuc observatas formas  
superesse in antiquis Christianorum Lucernis, quæ in Passerio  
Musæo servantur.

C L X V.

L OCVS PVBLIC. *Sepulchrum Publicii*; locos enim appella-  
bant Veteres Christiani sepulchra illa, seu loculamenta  
in parietibus ad cadaver excipiendum excavata. V. Comment.  
ad